

**Programma invitatorium de rhythmis Basili Valentini octavum dissertationi
inaugurali [J.M. Eichleri] de cholera ... praemissum / [Hermann Friedrich
Teichmeyer].**

Contributors

Teichmeyer, Hermann Friedrich, 1685-1744.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Hornianis, [1735]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pgpmgwc4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(41.)

13253

MEDICAE FACVLTATIS DECANI
**HERMANNI FRIDERICI
TEICHMEYERI**

PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET BOTANICÆ PROF. PVBL. ORDINARII, SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVL. ET ARCHIATRI, ACAD. IMPERIAL. LEOPOLD. CAROLIN. AC SOC. SCIENT. REG. BORVSS. SODALIS

PROGRAMMA INVITATORIVM
DE
**RHYTHMIS BASILII
VALENTINI
OCTAVVM**

DISSERTATIONI INAVGVRALI

DE
CHOLERA

DIE III. SEPTEMBRIS M DCC XXXV.

HABENDAE

PRAEMISSVM

IENAE DOMINICA XIII. POST TRINIT.

LITTERIS HORNIANIS.

MEDICAE HYGIAEATIS DECANI
HIERONIMI FRIEDRICI
TEICHMUEHLI

HIL ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRURGIE ET BOTANIC
 ET TOXICOLOGIE, OBSTETRICIA, SIRERUSSISOMORVM SAKONIE DUCAM
 ET IN INGENC. GENEV. VIT. ET MORALITATI, AGIT. IMPE
 RIAL IMPERIAL CAVORN AC SOC. SCIENT. REG.
 HORASS. SOCIET.

PROGRAMMA INVENTORIUM

DE

VALERIANI **PRAYMIS BASILI**

13253



DIVVATVN
 DISSERTATIONE INAGARIA

DE

CHOLOHY

DIE III SEPTEMBRIS MDCCXXII

INDICA

PRAYMISIAMI

HEINE DOMINICI HERBICOT TREAT

LITTERIS HORNIANIS



I. N. I.



T promisso, quod in Programmate septimo dedi, satisfaciam, communicabo iamiam Processum spiritus Naphthae chemicae, siue anodynī mineralis, quemadmodum eundem hactenus praeparare consueui: Receptis scilicet spiritus vini, ex vino nostro Ienensi parati, rectificatissimi partibus tribus; * Olei vitrioli

(2)

* Omnis spiritus vinosus, siue sit paratus ex vino rhenano, gallico, alioue, siue ex fecibus vini, siue ex saccharo, siue ex melle, siue ex frumentis ad dissoluenda principia olei vitrioli aptus est, modo sit dephlegmatissimus, rectificatissimus, a suis principiis crudioribus bene depuratus & insimul grati odoris & saporis.

vitrioli nigricantis grauissimi & fumantis parte una; **
 Spirituque vini infuso in cucurbitam longioris colli,
 erectam supra fertum stramineum, addo guttatum oleum vitrioli: & ita oritur notabilis strepitus cum ebullitione, fumi assurgunt odoris spiritus Nitri dulcis, quae vero nebulae albicantes, notabili grauitate praeditae, breui tempore versus fundum cucurbitae descendunt. Et cum mixtura notabiliter incalescit, oleum in centrum cucurbitae infundendum, ne fiat vitri ruptura. Peracto hoc labore, immittuntur in cucurbitam fragmenta tubolorum vitreorum, quae ad palmae longitudinem supra Mixturae horizontem minimum eminere debent ***; Superimponitur alembicus vitreus, qui, interposita charta, ad collum cucurbitae adaptatur. Post haec agglutinatur alembicus exactissime ad collum cucurbitae, vel luto communi vel zonis, ex vesica bubula exsectis & probe madefactis; **** clauditur

** Proportio inter spiritum vini & oleum vitrioli ab Autoribus diuersimode indicatur. Alii recipiunt spiritus vini & olei partes aequales; alii ad unam olei addunt duas, quatuor, quinque vel sex partes spiritus vini.

*** Ratio additionis tubolorum vitreorum haec est, in fine materia picea format notabiles bullulas, quae, ad colli cucurbitae extremum marginem interdum assurgentes, ipsum saepius alembicum intrant, a tubulis vitreis additis bullae a se inuicem separantur & rumpuntur.

**** Hic spiritus subtilissimus in destillatione sua fere omnia luta penetrat, & odorem suum per totum Laboratorium diffundit, imo locos vicinos. Hinc parare soleo luta ex vernice, oleo lini, bolo, minio & Lithargyrio. Hac Massa molli

ditur quoque rostrum alembici & Mixtura per tres quatuorue dies & vltra leni calore digeritur ad recludenda Mixturae principia.

Finita digestione, immittitur cucurbita in arenam, rostrum alembici reseratur & adaptatur vas recipiens amplum pro maiori & liberiori spirituum elasticorum expansione & simili luto obducitur.

Nunc, destillatione suauiter & successiue gradatim instituta, assurgit spiritus penetrantissimi odoris, sulphurei, siue naphtha chemicorum. Ego plerumque per destillationem separare soleo tres circiter Mixturae partes, quas effundo, & seorsim conseruo. Recipiente vero denuo adaptato, per continuatam destillationem vltimato accepi Phlegma acidum cum oleo quodam supernatante, in cucurbitae fundo autem materia obscura & picea remanet.

Spiritum, quem impetraui, semper sulphurei est odoris, ad instar sulphuris accensi, saporisque aciduli, qui, acido deinceps separato, maxime dulcis gratissimumque odoris atque saporis redditur. Quomodo hic labor peragatur, in posterum, Deo auxiliante, declarabimus. Iamiam haecce praemittere voluimus occasione Dissertationis Inauguralis clarissimi & dignissimi Honorum Doctoralium in Arte medica Candidati,

(3)

IOH.

molli & malaxabili obduco reliqua luta & omnes commissuras. Per hoc lutum spiritus non penetrat, &, si lutum hoc per euaporationem spissum redditur, denuo miscetur oleo lini & pristinam acquirit mollitatem,

IOH. MAXIMILIANI EICHLERI,

Qui primam aspexit lucem in Illustri Ciuitate, Fran-
 cofurtum dicta & ad Moenum sita Anno MDCCVIII.
 Patrem exosculatur IOHANNEM STEPHANVM
 EICHLERVM, Mechanicum ac ciuem Francofurten-
 sem, Matrem vero SVSANNAM CATHARINAM,
 IOHANNIS CAROLI LANDECKII, mechanici ci-
 quisque Norinbergensis filiam. Summa statim pater-
 nae circa adhuc tenerum curae eo redibat, vt tam
 priuatis, quam publicis Gymnasii Francofurtensis
 Praeceptorum Institutionibus iis praeceptis instruere-
 tur, quibus aetas puerilis imbui solet, donec tandem
 adultiori aetate, in excolendis studiis humanioribus,
 ductu Virorum Clarissimorum IOH. THOMAE
 KLVMPFII, Rectoris meritissimi, DANIELIS
 SCHLEITCHII b. m. & PETRI REINHARDI, Pro-
 Rectoris spectatissimi ulterius progressus est. Hisce
 morum, pietatis & doctrinae exercitiis exantlatis,
 tandem Anno MDCCXXIX. iussu paterno, ad Virum
 Excellentissimum Dominum Confiliarium, FRAN-
 CISCVM CAROLVM de KELLERN, Physicum Heil-
 bronnensem Experientissimum, se contulit, cui prima
 Salutaris Artis Medicae principia gratissimus debet.
 Iactis igitur sub ductu Viri huius Celeberrimi primis
 fundamentis, Anno huius seculi XXXI. Academiam
 Argentoratensem petiit, eiusque Academiae Magnifico
 tunc temporis Rectori, IOH. IACOBO SCHERTZIO,
 Institut. Imperial. P. P. O. nomen dedit, vbi in Anato-
 micis, Osteologicis atque Chirurgicis B. D. D. HEN-
 RICO

RICO ALBERTO NICOLAI, Anatomiae & Chirurgiae P. P. O. dum viueret famigeratissimo, per omnes, quos academica aetas tulit dies, Praeceptore usus est. In Botanicis, Materia Medica & in Formulis praescribendis multum ex institutione solidissima Ioh. BOECKLERI b. m. Botanices & Chemiae P. P. O. profecit. Tandem, quod praematuero B. NICOLAI obitu in studio Anatomico abruptum erat, ulterius Duce Celeberrimo & Excellentissimo Ioh. SALTZMANNO adhuc pertexuit. In Physicis ab ore Viri Excellentissimi, D. Ioh. IACOBISACHSII t. t. Philosoph. Nat. P. P. O. magno cum emolumento peperit. Annus erat huius seculi XXXIII. quo, relictis Argentoratensibus Musis, Celeberrimam nostram Salanam t. t. Magnifico D. Pro-Rector D. HERMANNO KEMMRICHO, Sereniss. Saxon. Ducum Stirp. Ernest. Consiliario Aulico, Codicis & Nouell. P. P. O. Curiae Provincial. Saxon. commun. Facultat. Iurid. & Scabin. Assessore, laetis auspiciis salutauit. Hic statim illi fortuna Celeberrimum & Excellentissimum Virum D. GEORGIVM ERHARDVM HAMBERGERVM, Praeceptorem ac Fautorem dedit, cuius Lectiones Physicas, Physiologicas, Pathologicas, Chirurgicas, Semioticas, Chymicas, Materiae Medicae, Formularum, Methodique Medendi non sine insigni emolumento audiuit. Magnificum Dominum Pro-Rectorem, D. SIMON. PAVLVM HILSCHERVM, Medicinae Doctorem & P. P. O. in Materia Medica & praescribendis Formulis habuit Praeceptorem. Ad Lectiones proprius accessit Practicas, cum neminem expertus sit insigniorem Ilustri,

Iustri, Magnifico, Excellentissimo & Experientissimo
 IOH. ADOLPHO W E D E L I O , Venerabili Facultatis
 Medicae Seniore, Prax. & Chym. P. P. O. Sereniss. Sa-
 xon. Duc. Consiliario Aulico, istius Collegiis de Febri-
 bus, Fluxionibus ac Methodo Medendi sedulo ac ma-
 ximo studiorum emolumento interfuit. Ex ore quo-
 que Generis mei dilectissimi D. D. IOH. ANDREAE
 SEGNERI, Philosophiae ha&tenuis P. P. Extraordinarii,
 nunc vero Mathematum ac Physices in Academia Re-
 gia Goettingensi P. P. O. tam Lectiones Philosophicas
 & Mathematicas quam Institutionales Medicas audiuit.
 Tandem & meis Lectionibus Anatomicis, Botanicis &
 Medico-legalibus, item duabus Publicis anatomicis Se-
 ctionibus interfuit. Confecto sic laudabiliter studiorum
 suorum curriculo, Facultatem nostram accessit, mode-
 ste petens, vt in numerum Candidatorum reciperetur.
 In Examibus consuetis, a Collegio nostro cum eo in-
 stitutis, Eruditionem suam nobis sufficienter probauit,
 & ideo Licentiam disputandi pro Gradu Doctorali, de
CHOLERA, meo sub Praesidio impetrauit.

Ad hunc Actum Solennem Magnificum D. Pro-
 Rectorem, Illusterrimum S. R. I. Comitem, Patres Aca-
 demiae Venerandos, Hospites omnium dignitatum
 honoratissimos, Generosissimam & Nobilissimam Com-
 militorum Coronam officiosissime, nomine Colle-
 gii mei, inuito. P. P. Ienae Dominic. XIII.
 post Trinitatis M DCCXXXV.

(L. S.)